

## Die Urkunden Karls des Großen, 63b

Carolus rex Francorum vir illustris et amator aecclesiarum et servitorum dei. Cum nos in dei nomine Longario villa una cum optimatibus vel pontificibus seu illustribus viris ducibus comitibus caeterisque regni principibus sederemus ad universorum causas audiendas rectaque iudicia terminanda, veniens vir venerabilis Sturmi abbas de monasterio Fuldensi ubi sanctus Bonifacius martyr corpore quiescit, hominem quendam Dagaleichum nomine interpellabat coram rege, quare illas res in loco qui dicitur Omenstat, quem dominus et pater noster Pippinus per suum preceptum as monasterium sancti Bonifacii donaverat, unacum adiacentiis et ad se pertinentibus rebus malo et iniquo studio detineret et ab utilitatibus aecclesie suae prohiberet. Sed ipse Dagaleih presens stare iubebatur causamque illatam nullatenus poterat denegare nec iustam quivit obtendere rationem, propter quid res nominatas habere posset. Statim rege et omnibus qui aderant cogentibus abdicatas cum iuramento ipsas res restituit et reassignavit iniuste ablata abbati prefato sanctoque martiri Bonifacio et proiecta festuca, ut mos est, promisit se ulterius non intromissurum. Proinde nos talia una cum fidelibus nostris iudicavimus sufficere vadum et obsidem ab ipso Dagalego suscipere, ne se ulterius de bonis sancti Bonifacii intromitteret. Volumus ergo atque iubemus, ut dominus Sturmi abbas res sancti Bonifacii a nobis et patre nostro traditas possideat, teneat et utatur secundum indigentiam monasterii et fratrum suorum nullusque postmodum impediatur vel contradicat prefatas res cum omni utilitate sua.